

B. N. II 336.

f. 66, 5.

(X1876268)

150
II R
830

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE CLAUSULA,
REBUS SIC
STANTIBUS,

QVAM
DEO T. O. M. Adjuvante
EX DECRETO ET AUTORITATE
FECTORUM ORDINIS IN ILLUSTRIS HAC VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDI-
NARIO, & PROFESSORE PRIMARIO, nec non EIDEM SERENISS. ac POTEN-
TISS. PRINCIPI ELECTORI ab AULÆ ELECT. CONSILII,

ANTEA
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI, & COL-
LEGII REVISORII ASSESSORE, IN ACADEM. HEIDELBERGENSI DECRET.
PAND. & JUR. GENT. P. P. ORDIN. MERITISSIMO,

Mecenate suo ac Præceptore pio cultu æternum venerando,

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE; JURE HONORES ac PRIVILEGIA
DOCTORALIA CONSEQUENDI,

Ad D. XXIX. Junii Horis ante- & pomerid. Anno MDCXCIX.

Publico Eruditorum Examine submittit

HENRICUS MEIER, Brem.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.





CAPUT I.

*Generalia cum hujus formulæ
explicatione verbali tradit.*

SUMMARIA.

- | | |
|---|---|
| <p>S. I. M Agnum jam formul-
larum & clausula-
rum usum fuisse apud
Græcos & Romanos, & præ-
sertim multum illas ad ju-
ris certitudinem, liti-
umq; compendia facere.</p> <p>2. Quid sit formula cadere.</p> <p>3. Differentia inter formu-</p> | <p>lam & clausulam.</p> <p>4. Instar cautelæ has frequen-
tias adhiberi negotiis &
instrumentis.</p> <p>5. Vocem res hîc generalissi-
mè accipi.</p> <p>6. Stare res dicitur, statu, in
quo initio fuerunt, non mu-
tato.</p> |
|---|---|

S. I.



Durimum in concipiendis formu-
lis & clausulis studii collocârunt non Ro-
mani tantum, sed & alii populi cultiores,
earumque in primis artifices fuere Græ-
ci, præsertim in religionibus ac judiciis,
quos Romani deinde secuti sunt. Faciunt
verò plurimum ad juris certitudinem & litium com-
pendia : tam perspicuâ enim brevitate conceptæ & sin-
gulæ

gulæ causæ cum suo jure certâ formulâ ita comprehensæ erant, ut, si quam actor elegisset, constaret illico judici tum quid facti probandû, tum quid in eo juris esset, Perbene Cic. *Orat. III. pro Rosc. Com. in med. Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ ne quis aut in genere injuriæ, aut in ratione actionis errare possit. Expressæ sunt ex uniuscujusq; damno, dolore, commodo, calamitate, injuriâ publicæ à Prætore formulæ, ad quas privata lis accommodetur.* Ita conditionum formula fuit: *Si apparet dare, facere oportere, condemna judex. § 14. Inst. de Action. & actionû personalium in genere: Si apparet dare, facere oportere. §. 1. Inst. eod. Hotom. ad d. §. 1. verb. Dare. aut facere oportere.* Aliarum causarum variæ formulæ passim in Legibus & apud autores occurrunt, quarum plures collegit Briffon. in *Lex. lib. 6. voc. formula.*

§. 2. Quod si verò actor vel minimum aberraret à formulæ præscripto, totâ causâ cadebat; unde dicebatur ille formulâ cadere, ut apud Quintil. *Instit. lib. 3. cap. 6. pag. m. 136. Cum in omnibus ferè causis, etiam quibus cecidisse quis formulâ dicitur, hæ sint quæstiones &c.* Et Senec. *de Clement. lib. 2. c. 3. Ne una definitio parum rem comprehendat, & ut ita dicam, formula cadat.* Et in *Epist. 148. in f. Scientes in fraudem adducitis, ut formulâ cecidisse videatur.* Item formulâ excidere; ut apud eundem Quint. *Declam. 350. Excidisse formulâ, ut aliter, quàm potuerit, agere dicatur.*

§. 3. An autem & quid differant formula & clausula in ambiguo videtur. Potissimum verò ita distingui arbitramur, ut formula de toto plerumq; negotio & dispositione integra, clausula verò de aliquâ ejus particula dicatur. Ita formulæ integræ actionum dicuntur *supr. §. 1. formula stipulationis; in*

L. 40.

L. 40. ff. de Reb. credit. formula sponsionis : Cic. d. Orat. pro Rosc. Comœd. post. pr. formula acceptilationis Aquilianæ in §. 2. Inst. Quib. mod. toll. oblig. &c. At formulis istis clausulæ, ut partes, insunt ; uti clausula de dolo malo, quæ stipulationibus inseri solebat, ita, dolum malum abfuturum esse. l. 119. junct. l. 121. pr. ff. de Verb. Oblig. l. 4. §. 15. §. 16. ff. de Dol. mal. exec. Ita cautioni, Judicatum solvi, tres clausulæ insertæ sunt ; de re judicata, de re defendenda, de dolo malo l. 6. l. 17. l. 19. pr. & §. f. l. fin. ff. Judic. solv. Sic edicto de restitutionibus majorum inserta dicitur clausula generalis : Item si qua alia justa causa. l. 26. §. f. ff. Ex quib. caus. maj. l. 1. §. 9. ff. de Itin. act. priv. Quemadmodum notæ & frequentes sunt clausulæ libellorum, testamentorum, l. 31. de Legat. 1. edictorum l. 9. pr. ff. de Edend. l. 25. §. 1. ff. de Recept. &c. Eodemq; sensu & rubricæ dicuntur clausulæ, ut in L. 6. pr. ff. de Inoff. testam. l. 1. pr. de Susp. tut. &c.

§. 4. Etsi verò hinc pateat, capita dispositionum quoq; clausularum nomine in jure venire, frequentius tamen illæ adniberi negotiis atque instrumentis solent instar cautelæ ad majorem utriusq; vel alterius partis securitatem, certitudinem, aliamvè cautelam, prout cuiq; parti visum fuerit. Et solent quidem vulgò in abusum quàm maximè trahi, uti & olim formulæ actionum, quæ proinde sublatae sunt ; at rectè & cautè adhibitæ magnam in foro utilitatem habent, latisfimeq; patent, quod nunc uberius prosequi ab instituto alienum est. De cautelis contractuum videri potest III. Dn. Stryckius, Jctus Famigeratissimus, olim hujus Electoralis Viadrinæ, deinde almæ Leucoreæ ; nunc Illustris Fridericianæ Ordinarius, de Cautel. Contract. quo utilissimo tractatu de hac materia, uti &

aliàs præsertim de praxi & re forensi præclare me-
ruit.

§. 5. Inter clausulas plurimum usus momenti-
que est in clausulâ, *Rebus sic stantibus*: in qua vox re-
rum, uti in jure solet, generalissimè accipitur, omni-
aq; de quibus in jure quæstio esse potest, comprehen-
dit. Hinc, etsi vox pecuniæ quoque latisimè acci-
piatur, & quicquid in patrimonio est comprehendat,
uti in rubr. de Pecunia constituta. tamen rei appellatio lati-
or est, & ea quoq; quæ extra computationem patrimonii no-
stri sunt, continet. per L. 5. ff. de V. S. Quemadmodum
res divini juris quoq; dicuntur L. 1. pr. ff. de Rer. div.
§. 7. & seqq. Inst. eod. quo sensu Virgilius i. *Æneid.*
vers. 233. cum Jovi omnia tribuere ac subjicere vellet,
hoc vocabulo rei id totum expresit:

O qui res hominum Deumq;

Æternis regis imperiis & fulmine terres.

Eadem ratione vocibus *rei publicæ, rei privatæ, rei Ro-
manæ* &c. comprehenditur quicquid civitatis, quicquid
privati, quicquid Romanorum est; & ita vetere illo
Enniano:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Nec res ipsæ tantum, sed rerum quoq; causæ omnia-
que jura hoc verbo comprehenduntur. L. 23. ff. de V. S.
Quin nec personarum jura ab ejus generali latitudine
excluduntur. arg. §. 13. ibi: *Præjudiciales actiones in rem esse
videntur. Inst. de Action.* Et tantum de verbo, *rebus*.

§. 6. Sic stare verò res dicuntur, quæ in eodem
statu, in quo initio fuerunt, atq; in eadem conditio-
ne permanent: qui vulgò *status quo* appellari solet.
Ille autem mutatur, quoties novi aliquid fit; quod
proinde *innovatio* & hodiè *attentatum* dicitur; quo per-
tinet

tinet titulus ff. Ut appell. pend. nih. innov. & tituli Juris Canon. Ut lit. pend. nih. innov. Id autem quàm variè accipi possit cap. seq. videbimus.

CAP. II.

Tradit descriptionem realem.

SUMMARIA.

- §. I. **S**tatus innumeris circumstantiis variari potest, adeoq; difficile est definire quando mutatus intelligatur.
- 2. Substantiâ mutatâ & ipse status mutatus intelligitur. Dissensiones in eâ re veterum Actorum.
- 3. In substantialibus, distinguendum est inter ea quæ tantum ad constitutionem causæ vel negotii, & ea, quæ etiam ad conservationem necessaria sunt.
- 4. Ad constitutionem sufficit capacitas negotii conficiendi.
- 5. Ad jus ex actu quæsitum retinendum & continuandum requiritur quoq; capacitas res possidendi dominiâq; earum retinendi. Hac deficiente demum valet regula: Irritum esse quod in casu incidit unde incipere non potest.
- 6. Huc pertinet omnis casus, de quo illicita est dispositio.
- 7. In accidentalibus discrimen faciendum est, sive addita expressè sit clausula, sive non.
- 8. Eâ additâ, quæ mutatio status dispositionem tollat.
- 9. Si clausula ita concepta sit, ut res in statu quo sunt maneant, quid mutari possit?
- 10. Clausulâ expressè non additâ, regulam esse; Mutato circa mera accidentia negotii statu, illud irritum non fieri.
- 11. Excipiuntur casus, in quibus jure civili ex aliqua æquitate aliud constitutum est.
- 12. Deinde, ubi tantum quæstio voluntatis est re integra.
- 13. Quæ hoc casu requirantur, ut stat9 rei mutato videatur.
- 14. Non sufficit, non cogitâsse de casu, ut in eo negotium irritum fiat.
- 15. Cujus probatio sit.
- 16. Huc non pertinere, quod initium negotii inspiciendum.

§. I. Uti

§. 1.

UTi status ille rerum ex innumeris circumstantiis componi, ita & innumeris variari potest. Atque in tanta varietate & tot ambiguitatibus difficilè videtur accuratè eum definire, ac propriis finibus ita coërcere, ut cujusque negotii status, & quando ille mutatus intelligatur, apparere queat; quod tamen probè definitum esse plurimum interest.

§. 2. Inprimis verò discernendum in genere est inter substantialia status & ejus accidentia: neque dubitandum est, statum rei mutatum esse, cum ipsa, sine qua consistere nequit, substantia mutata est. Idq; est quod infert antiqua illa regula: *Tolli rem vel negotium, cum incidit in casum à quo incipere non potest*: L. 3. §. fin. ff. de His quæ pro non script. etsi regula directò in contrarium concepta sit in L. 85. §. 1. ff. de R. J. *Non esse novum ut quæ semel utiliter constituta sunt durent, licèt ille casus extiterit à quo initium capere non potuerunt.* Item in L. 11. ff. de Judic. L. 11. ff. de Servit. L. 15. in fin. L. 16. ff. Ad L. Aquil. §. pen. Inst. de Noxal. act. §. 2. Inst. de Inut. stip. L. 43. §. f. ff. de Furt. Adeò ut in decisionibus casuum quoq; in contrarias invicem partes disceserint Jcti veteres in notissimà specie, cum quis creditori suo, quod ei sub conditione debet, legat, & eo deinde vivo conditio existit, quo ipso utilitas omnis legati evanescit, æquè, quin magis jam re absq; legato quoq; debitâ: cum enim legatum inutile ab initio valere nequeat, corruet quoq; ex regula, si in eum casum postea deducatur: quod sentit Paulus in L. 82. pr. ff. de Legat. 2. contra Papinianum in L. 5. ff. Ad L. Falc. cujus sententiam dissenſu hoc allegato, & non Paulo modò, sed & regulâ ipsâ contrariâ rejectis, probat Justin. in §. 14. Inst. de Legat. §. 3.

§. 3. Istæ collisiones ut sedari possint, ex ipso rerum statu, ejusque præmissâ distinctione explicari potest. Illa enim, quæ diximus statûs substantialia non sunt unius generis, alia enim sunt, quæ tantum ad causæ vel negotii constitutionem, alia, quæ ad ejus quoque conservationem necessaria sunt.

§. 4. Ita ad cujusq; negotii constitutionem, non conservationem, requiritur saltem capacitas ejus conficiendi; atque ideò, si postea in furorem incidat, surdus, mutus, prodigus fiat &c. negotium initio utiliter gestum non tollitur; *l. 6. §. 1. l. 18. pr. ff. Qui test. fac. l. 16. §. f. ff. de Rit. nupt. l. 31. pr. ff. de Donat. l. 8. ff. de His qui sui vel al. §. 1. Inst. Quib. non est perm.* hæc enim vitia solum personæ actum impediunt, cum facultas agendi mera sit qualitas actûs & personæ, atque ita tantum ad actum ipsum, non verò ad juris inde semel ritè quæsiti conservationem requiritur: etsi itaq; postea casus talis incidat, semel utiliter gestum ideò non vitiabitur, *dd. ll.*

§. 5. At contrà, non tantum ad agendum, sed & ad jus ex actu quæsitum retinendum seu continuandum requiritur capacitas res possidendi, dominiaque earum retinendi; illa enim non ad modum actûs, sed ad omnem rei possessionem in perpetuum requiritur: ita, si vel agens desinat esse dominiorum capax v. gr. capitis diminutione, vel res desinat esse in ejus commercio, quandocunque vitium illud supervenerit, negotium corruere actumq; irritum fieri necesse est: non enim de vitio actûs vel negotii quæritur, sed de ipso jure possidendi etiam ea quæ legitime & ex negotio valido quæsita fuere; adeoq; si talis casus accidat, quo non modò negotium illud ge-

B

rere

rere nequit, sed & jura sua omnia, ex validis quoque negotiis acquisita perdit, non potest non interire quoque jus illud de quo quæritur, ex quocunq; negotio quæsitum fuerit, & in quodcunq; momentum casus ille incidat: necessario itaq; negotium perinde tolli oportet, ac si initio vitium jam adfuisset. Et de hoc casu valet omnino & perpetua est regula illa *d. l. 3. §. f. Irritum fieri negotium, si incidat in casum unde incipere non potest.* uti hanc distinctionem ejusq; rationem haud obscure innuit textus in *L. pen. §. fin. de Verb. obl.* Et hujusmodi casus sunt in *l. 6. §. 5. & seqq. ff. de Injust. rupt. irr. test. l. 83. §. 5. ff. de V. O. l. 8. l. 18. ff. Qui test. fac. §. 3. & seqq. Inst. Quib. non est perm. l. pen. §. 7. ff. de Bon. poss. sec. tab. l. 43. §. fin. ff. de Furt. &c.* Cæterum alià ratione disfidium *supr. §. 2.* relatum placabitur *inf. cap. 7.*

§. 6. Huc pertinent quoq; casus omnes, de quibus licite disponi non potuit: talis itaq; casus si incidat, intelligitur ille sub dispositione non comprehensus, sed perinde irrita fit in eum casum dispositio ac si initio de eo facta fuisset. Ut si inter duorum populorum cives convenit, ut ferrum, cotes, aliasve merces invicem venderent, deinde verò inter populos illos bellum exarserit, vel mercium illarum exportatio publice prohibita fuerit, conventio irrita fit, nec ex ea illi conveniri queunt qui merces eas amplius non vendunt, uti si ab initio ille casus jam extitisset. Ita, si Princeps privilegia aliis concedat, existat verò casus quo tali privilegia jure concedi nequeunt, revocari illa recte possunt.

§. 7. Atq; hæc de substantialibus statibus rerum, de quorum mutatione, etsi & illa in omni jure publico & privato versetur maximumq; & late patentem usum habeat, minus operosi erimus, cum decisiones

nes

nes eorum ex cuiusq; negotii ac causæ naturâ atque substantia pendeat, quæ omnia exponere limites disputationis Academicæ immensum egredi constat. In iis verò quæ non substantialia, sed accidentia sunt, statûs rerum, duplex quæstio discriminanda est: altera, ubi expressa lex dispositioni addita, ut in eodem statu, quo tunc sunt, omnia permaneant vel restituantur: altera, ubi hoc additum non est, sed quæritur saltem quousq; in dispositionibus & negotiis intelligi debeat clausula: *Rebus sic stantibus*.

§. 8. In casu prioris quæstionis, scil. clausulâ, *Rebus sic stantibus*, expressè insertâ, quælibet mutatio dispositionem tollit, nisi talis accidat mutatio, de quâ clausulam non posse intelligi, seu de qua actum vel cogitatum non fuisse apparet; uti si mutatio illa nihil ad causam pertineat; v. gr. si socius uxorem duxerit, habitationem mutaverit, senator factus fuerit, id nihil commune habet cum societate neq; eam tollit; vel si quidem eò pertineat, sed tam levis momenti sit, ut id curâsse non videantur, v. gr. si socius paulò pauperior factus fuerit &c.

§. 9. Ita quoq;, si dictum sit, ut res in statu, quo sunt, maneant; nam neq; in substantialibus, neq; in accidentalibus de statu rei quicquam mutari potest. Hic tamen status rei non est intelligendus de singulis actibus ipsoq; actuali exercitio, sed de facultate agendi quæ eo tempore, de quo agitur, fuit, & hoc momentum est norma ac regula illius statûs: uti, cum possessor convenitur, omnia quidem pendente lite in eodem statu, quo in momento cœpti iudicii fuere, relinquenda sunt, sed eo non impeditur, quo minus possessor interim agrum litigiosum colere, messem secare ac

colligere, quin & consumere possit, etsi in puncto litis cœptæ non fuerit occupatus ejus cultura vel demetendâ segete, nec tum fructus consumserit, quæ nec uno momento fieri possunt. Non itaq; inspicitur quid tum egerit, sed cujus rei agenda vi possessionis suæ facultatem habuerit: id enim si agit, nihil fit novi, sed cujus jam tunc, cùm conveniretur, facultatē habuit, quæ pendente lite ipsi auferenda non est. Ita, licet Status imperii, vel eorum subditi, qui 1. Jan. 1624. publicum exercitium religionis habuere, in illo momento non vocaverint ministros, non habuerint consistoria, non fecerint constitutiones ecclesiasticas, tamen sufficit quòd vi exercitii religionis hæc & similia facere potuerint. Atq; ita de similibus.

§. 10. Alterius quæstionis, cùm scilicet clausula expressè addita non est, obscurior & magis anceps est definitio: quam ut finibus suis circumscribamus & ad certam quasi normam exigamus, imprimis pro regula rationi & naturæ congrua statuendum est: *Non tolli rem vel negotium ejusve obligationem, etsi accidentalæ ejus deinde mutantur*; modò sint mera rei accidentia: ea enim abesse salva re possunt. Et sanè valet omnino negotium, cujus substantia omniaque, sine quibus consistere nequit, integra sunt. Unde licet accidat deinde aliquid, quod si pars præscivisset, ita dispositura non fuisset, non tamen illud vim negotii semel ritè perfecti infringit, nec jus inde alteri quæsitum perimit. Ita, si quis rem suam vendiderit, deinde in eum statum inciderit, ut ipse quàm maximè eâ indigeat, adeò ut, si id scivisset, nunquam eam venditurus fuisset, non tamen ideo venditionem ritè perfectam & dominium ex ea translatum revocare potest:

test: aliàs enim omnes venditiones olim factæ retrahendæ essent, si venditores quocumque indigere ita rebus venditis cæpissent, ut in eum casum vendituri non fuissent: pœnitere enim re integra solum licet, non autem negotio jam perfecto & jure aliis inde quæsito.

§. 11. Hac præstructâ regulâ dispiciendum saltem est, qui casus inde excepti sint? Et *primum* quidem in omnibus propè materiis inveniuntur casus, quibus à negotio, etsi perfectum jam fuerit, mutato saltem circa accidentia statu rerum, iterum recedi potest: quod jure civili, prout æquum aut bonum visum fuit, constitutum est: ut in *l. 3. C. de loc. cond. l. 30. ff. de Fideicom. l. 8. C. de Rev. donat.* & pluribus aliis, veluti in singulis materiis suo loco notabimus.

§. 12. Deinde, secus est in causis, quæ in voluntate & arbitrio hominis consistunt, ita ut de ejus saltem voluntate & judicio quærat; tum enim non quocumque mutatione accidentium mutatur ita status negotii, ut vim suam perdat & ab eo recedi possit, quasi rebus non sic stantibus; sed tum demum, cum talis casus existit, in quo mens ac sententia statuentis cessare videtur: uti in ultimis voluntatibus.

§. 13. In his igitur causis idem rerum, de quibus actum est, status non intelligitur, si hæc duo concurrunt: (1) Ut appareat de eo casu vel statu non fuisse cogitatum, & (2.) etsi cogitatum fuisset, eò dispositionem extensam non fuisse. Idque nititur evidenti *primùm* ratione, quia tum sententia & ratio dispositionis, quæ ejus anima est, cessat. *arg. l. 17. l. 29. l. 30. ff. de Legib. sc. si neque de eo statu vel casu cogitavit, neq; si cogitasset, ita disposuisset. Deinde* textu claro in *l. 12. ff. de Transact.*

§. 14. Itaq; non prodest non cogitasse de illo statu, quia sufficit de genere, quo continentur omnes species, cogitasse, & generaliter dispositionem factam fuisse. *d. L. 12. pr.* At si de re non cogitavit, & probabile est, si cogitasset, non fuisse ipsum de eo dispositurum, tum verò mens, & sententia, & animus, agendi deficit. Exemplum utriusq; est in *d. l. 12.* Si quis enim regulariter transigit de iis, quæ in testamento relicta sunt, videtur cogitasse de omnibus, quæ eodem testamento relicta sunt, etsi aliâ ejus parte. Cœterum, si quæ codicillis postea prolatis relicta sunt, nec de iis cogitasse, nec, si cogitasset, de iis transacturus fuisse videtur: cum transactiones & stricti Juris sint & non præsumantur.

§. 15. In casu quo clausula expressa est, mutatis accidentibus mutatur status rei, nisi appareat, clausulam ad hanc mutationem non pertinere: clausulâ autem non expressâ, status negotii perfecti durare intelligitur, usque quo appareat, ita mutatum esse statum, ut in eo negotium irritum sit. Clausulâ itaque insertâ, mutatis accidentibus probandum est, negotium non obstante mutatione ratum esse; eâ omisâ, illud irritum esse. Quæ probatio fieri quoq; potest indiciiis & præsumtionibus juris, nonnunquam jurejurando, aliisq; legitimis modis, & tum arbitrio judicis res deciditur. *arg. l. 14. pr. ff. de divers. temp. præscr.*

§. 16. Alia verò & hinc aliena quæstio est, quod tempus in negotiis, v. gr. contractibus, inspicere debeat? Nim. initium quo fit & perficitur negotium. Per naturam enim fieri nequit, ut alia sit negotii qualitas, quam quæ fuit cum gereretur; nec potest alia actio videri, quam fuit cum actum est, cum actio nihil ali-

ud

ud sit quam id quod agitur, adeoq; tale quale agitur, non tale, quale est cum non agitur. Uti, cum furiosus contrahit, qui postridie convalescit, contractus ille furiosi & nullus est, non vero hominis sanæ mentis, quia tum cum ageret, non fuit sanæ mentis. Hoc ergo momentum est, ex quo omnium actuum & negotiorum conditio æstimatur: Hinc præsens tempus semper intelligi dicitur *in l. 7. ff. de Aur. & arg. leg.* uti testamenti valor ex tempore quo factum est, censetur, *d. l. 7. l. 5. ff. qui test. fac.* hereditatis quantitas inspicitur tempore mortis, quo defertur. *l. 73. princ. ff. ad L. Falc.* Ita ob vitium rei non datur redhibitoria ex ædilitio edicto, nisi tempore contractus adtuerit. *l. 3. C. de Ædil. act. l. 54. ff. eod.* Nec ob læsionem enormem remedium *l. 2. C. de Rescind. vend.* nisi eo tempore infra dimidium vel ultra duplum res valuit. *l. 8. in fin. ibi: quod fuerat tempore venditionis. C. eod. l. 3. §. 5. ff. de Fur. fisc.* & sic de aliis. Quorum ratio, prout exposita jam est, satis luculenter traditur *in l. 69. in fin. ff. de Contrab. emt.* quia scilicet aliud emtum non est, quam quod & quale fuit tempore emtionis perfectæ. Sed nihil hoc ad clausulam, *rebus sic stantibus*, quâ quæritur, an negotium, quod semel ritè substitit, ob accidentem postea mutationem infirmetur. Alia autem quæstio est, ex quo tempore negotium valeat; alia, an negotium, quod ex eo tempore valet, postea infirmetur, statu ejus mutato. Atque ita omne negotium valet ex tempore, quo perfectum est; sed negotium semel perfectum non infirmatur statim superveniente aliqua mutatione; quæ quàm maximè diversa sunt. Uti & illa differunt, an conventio generalis contineat omnes species, etiam de quibus pars non cogitavit? Et, an conventio quælibet

libet irritetur, si postea superveniat status, de quo tum non cogitavit. Prius asserendum est, si probabiliter pars de illa specie non transegisset, *sup. §. 14.* posterius negandum regulariter, nisi in specie *§. 5. sup.*

CAP. III.

Monstrat effectum hujus clausulæ in genere & in specie in Jure Gentium & Canonico.

SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| <p>§. 1. Instituti ratio in progressu.</p> <p>2. Efficere hanc clausulam, ut extinguatur omnis effectus prioris status.</p> <p>3. Licet quis jurej. dispositionem suam firmaverit.</p> <p>4. Exemplum in obligatione subditorum erga Principem suum.</p> <p>5. Differentiam inter Pseudoprincipem sive Tyrannum, & Principem peccantem hic negligendam non esse.</p> <p>6. Aliud exemplum in pace constituta.</p> | <p>7. An sub pace amnestia etiam contineatur?</p> <p>8. Bodinus Mauritium Electorem reum agit violati fœderis Chambortici.</p> <p>9. Refellitur hæc calumnia.</p> <p>10. Controversia Hanseatici fœderis cum Anglis de Privilegiis commerciorum & Curia Londinensi Stiliard.</p> <p>11. Rationes pro fœdere allegantur.</p> <p>12. Hodiernus ejus status.</p> <p>13. 14. 15. Quid Jure Canonico obtineat?</p> |
|--|---|

§. I
Qvanquam ex jam traditis effectus hujus clausulæ elici facile possint, tamen, ut eò magis elucescant, eos cum in genere, tum adductis ex omni jure notabilioribus exemplis, demonstrabimus.

§. 2. Efficere

§. 2. Efficit verò hæc clausula, sive expressa in negotio sive tacite sub illo intellecta sit, ut quando status rerum mutatur, extinguatur omnis effectus prioris statûs, & res ipsa secundum præsentem statum dijudicetur ac decidatur. Quæ enim noviter emergunt novo indigent auxilio, *L. 11. §. 8. de Interr. in jur. fac. ibique Gothofr. qui lit. f. plures LL. exemplis hanc sententiam confirmantes allegat. cap. pastoralis 4. X. de Except. Gail. Lib. 1. Obs. 91. n. 12. & nullus de incognitis & incogitatis disposuisse præsumitur L. 5. L. 9. §. 1. & f. de Transact. L. 35. de Pact. Confer tamen sup. cap. 2. §. 13. 14.*

§. 3. Et, licet quis jurejurando promissionem suam roborasset, tamen excipere de statu rerum immutato, etiam ad effectum resiliendi, ei liceret, cum nec juramentum ad incogitata & quæ ex novâ causâ oriuntur, extendatur. *cap. 25. X. in f. d. El. & el. potest. Gail. Lib. 1. Obs. 22. n. 6.* Plures Doctores, hoc ita statuentes adducit Dn. Otto Phil. Zepperus, dum viveret Jctus & in illustri patriæ Gymnasio Professor celeberrimus, in *Cynosura Legali cap. 59. & seqq.*

§. 4. Maximus hujus clausulæ effectus est in obligatione subditorum, qui obstricti sunt à naturâ Principi, imperio semel in ipsum ritè delato, ad observantiam & obsequia perpetua. Quid autem, si quis faciem principis penitus exuat, & fasces, qui ipsi ad conservandam rem publicam concrediti sunt, in perniciem ejus vertat, adeoque ex Principe hostis fiat, an adhuc populus eum bonis & sanguine tueri, & ut caput sanctum venerari debet? Puto, si hoc notorium sit, hoc statu rerum, ubi ipsa anima imperii, qui in solo munere tuendi & conservandi, non perdendi remp. consistit, extincta est, omnia secus se habere

C

vid.

vid. supr. cap. 2. §. 5. & §. 2. huj. Tum fasces iterum redeunt ad populum, qui vel ipse, vel is cui, tacitè saltem, hanc potestatem populus concessit, statum reip. omnibus viribus, etiam, fialiter nequit, cum interitu hujus Pseudo-Principis (qui jam privatus, imò hostis & prædo est, cui tribuere sanctissima Majestatis jura blasphemum; v. Illustris Dn. Præsidis *Posit. pro explicat. jur. gent. VII.*) tueri potest. *arg. Pos. IV. n. 2.*

§. 5. Bene tamen hac in quæstione ponderandum est, quòd quàm maximè distinguendum sit inter ejusmodi Pseudo-principem cujus excessus planè ad everfionem statûs publici præsentis notoriè tendunt, & inter Principem etfi contra jus Naturæ peccantem, aut injuriam saltem inferentem privatis; ne errorem Nicolai Papæ in *c. f. caus. 2. qu. 1.* erremus, qui ideo Lotharium Regis titulo judicat indignum, quòd se flagitiis quibusdam maculaverat, contra ac nos sacra pagina docet: nam Davidem commisso adulterio & homicidio à Propheta eo nomine reprehensum quidem, quin & à DEO ipso graviter ideo punitum legimus, verùm, ut eã de causâ removeretur ab imperio, nemini in mentem venit.

§. 6. Cùm de causis inter summos Principes controversis transactum plenè est, pacem inde oriri universalem & in æternum duraturam ex Jure Gentium satis patet. Quæritur autem, si hîc eadem facies rerum non maneat, sed aut alteruter leges pacis violet, aut novâ injuriâ alterum afficiat, an posterior adhuc pace hâc obligetur ut injuriam sibi ab altero illatam vi præcedentis pacis vindicare non valeat? Equidem si pars moram implendæ paci faciat, vel contra aliquem ejus articulum committat, non illi-

CO

co pars altera exsolvitur omni pacis vinculo, sed contra, ex ipsa pace agere ad reparandam injuriam potest. Nec probari potest quod Grotius ubique ingerit, contractibus semper inesse conditionem, *si & alter dictis steterit; Tract. de J. B. & P. lib. 2. c. 15. §. 15. & lib. 3. §. 19. §. 14. &c.* nisi & ille animo recedendi à contractu ei non pareat, tunc enim utriusque consensu inde disceditur. per *l. 14. C. de Transact.* potuit enim alias moræ causas habuisse; ut si impeditus sit, si putet pace id non contineri, vel verba dubia esse &c. Si ergo judicem vel arbitrum partes in causa habent, coram illo ea deciditur; si nullum aliud iudicium est, pars læsa armis jus suum vindicare potest: utrumque salvo contractu vel pace, quia pars læsa non rumpit priorem pacem, sed ex nova læsione & superveniente violatione illatam injuriam persequitur. Multò minus ergo, si alter alterum extra pacis causam novâ injuriâ afficit, læso vindicta per præcedentem pacificationem adempta videbitur, cum pax tantum de eodem negotio inita fuit de quo bellum erat vel metuebatur; non ergo ad speciem de qua nihil dictum vel cogitatum, vel si cogitatum, transactum tamen non fuisset, hæc dispositio extendi debet. per *d. cap. 2. §. 13. & d. §. 2. h.*

§. 7. Eodem fundamento quæstio illa: An pax constituta per se efficiat, ut etiam damna in bello data vel in pristinum statum restitui, vel in statu quo sunt manere debeant, facile deciditur. Nam hoc negandum esse satis constat, cum (1.) ut jam in præcedentibus dictum, pax tantum est de causa belli; constat, autem, damna & injurias, quæ sibi invicem durante bello partes inferunt, à causa five lite ob quam bellum susceptum, planè differre, non minus quam expensæ

in litem à negotio, de quo litigatur, differunt. Et (2.) pax tantum est transactio de causa, non autem decisio de justitiâ ejus, quam quisq; à suis partibus stare arbitratur, & adversus se injuriâ ab altero agi contendit; adeoq; de his damnis durante bello datis, si non novum bellum spirent partes, æq; ut pascantur necesse est, uti hoc plurimis egregiis rationibus deduxit Illust. Dn. Præses in Lectionib. suis ad Grot. *lib. 3. cap. 20.*

§. 8. Optimo quoque jure hâc clausulâ defendere se potuit Mauritius Elector Saxonæ, cum à Gallis & Henrico II. Galliarum Rege reus violati fœderis Chambortici postularetur. Iniit enim illud eo tempore, quo Philippus Magnanimus contra fidem datam ac juratam, unâ cum Joanne Friderico Saxone captivus teneretur, & jam pars Pontificia immineret nimium libertati Imperii & conscientiarum. Hoc itaq; fœdus pepigit Mauritius & Albertus Brandenburgicus, duo veluti Scipiones Imperii, ad defensionem libertatis & conscientiarum, adjectâq; fuit clausula, *ne dissentientibus sociis pax fieret.* Deinde sequitur transactio Pasfaviensis, & Mauritius pacem facit cum Cæsare, cautumq; fuit securitati Imperii & religionis. vid. Sleid. *de Stat. relig. lib. 24. Arum. Discurs. Acad. 27. Heig. p. 1. quest. 11. n. 15. & seqq.* Jean de Serres *Hist. de France, dans la vie de Henry II. sous l' an. 1552.* Hoc tacto pessimè violatum fuisse fœdus Chamborticum inscio Rege Galliæ calumniatur Bodinus *de Rep. lib. 5. cap. 6. pag. m. 872. & seq.*

§. 9. Cæterum constat totum causæ statum hac transactione inversum; nam ipse Bodinus ait, hoc fœdere *Henricum II. patrocinium Principum & tutelam Imperii Germanici suscepisse, cum Imperatoris Caroli V. servitute*

tute premerentur, d. pag. 872. quæ tota causa cessavit pace Mauricii & transactione Passaviensi: nec potuit amplius tutela contra servitutum suscipi videri, ubi nulla jam servitus fuit & periculum omne cessavit. Quin defuit, restitutâ securitatè Imperii, fœdus esse licitum, quod non potuit iniri nisi pro defensione Imperii & conscientiæ *sup. c. 2. §. 6.* Accedit deniq; nec inscio Henrico pacem factam fuisse, uti luculenter ex eorum temporum annalibus demonstrat Heig. *d. loc.*

§. 10. Ex eo quoq; decidenda esset controversia Hanseatici fœderis cum Anglis, proposita in Comitibus anno 1595. Fœderi plura privilegia data erant Londini ratione commerciorum, in quam rem domum publicam in Urbe habebant Hanseatici, quæ hodieque ab iis possidetur, & *Stiliard*, nostris *das Deutsche Haus* / dicitur. Hæc privilegia Eduardo VI. & deinde Maria regnante refixa & interdicta fuere: causantibus Anglis, eo regni statu concessa esse cum regni commercia jacèrent, nunc, mutatâ sorte regni, privilegia ista noxia esse reip. Anglicanæ. Camden. *in Hist. Elisab. part. 4. ad ann. 1517. p. m. 740.* Zouch. *de Jur. fec. part. 2. sect. 4. quæst. 26.* Quæritur ergo, an ex clausula, *rebus sic stantibus*, defendi abrogatio hæc privilegiorum possit?

Quæ verò quæstio facti est, an ita ille status regni quoad rem nauticam mutatus fuerit, ut tempore patrum de tali statu non cogitarent Angli, si verò cogitassent, privilegia in eum casum cōcessuri non fuissent.

§. 11. Non enim hæc sola ratione possunt infringi pacta & privilegia, quòd nunc minùs sint inutilia paciscenti, nec propter utilitatem suam quis alteri jus quæsitum auferre, aut se obligationi suæ eximere potest. Sed & Angli tum, cum extraneis privilegia

commerciorum concederent, sperarunt equidem meliora negotiationum tempora, & auctam iri in regno rem mercatoriam, quin hac ipsa spe amplificandæ rei nauticæ & negotiatoriæ indulserunt Hanseaticis hæc privilegia. Igitur adeò cogitârunt omninò de hilarioris fortunæ temporibus, ut ea his ipsis quoque privilegiis, & datâ peregrinis negotiandi facultate invehere in regnum moliti fuerint. Non potest itaque, quod causa fuit dandi privilegia, idem esse causa eorum destruendi. Denique etsi non cogitassent de beatiore negotiationum conditione, tamen ostendendum erat, non fuisse eos pro temporum istarum rationibus privilegia hæc in eum regni statum, quo floreret amplissima navigandi & negotiandi facultate, permissuros: cum contrâ videntur non fuisse denegaturi in omnem eventum, ut erigerent res jacentes regni, atque restaurarent lætiores navigationum fortunam.

§. 12. Fervuit controversia, hoc seculo quoque & summa contentione hoc egerunt ita dicti Informatores Jurium domanii Anglicani, ut autoritate Parlamenti de possessione domûs Teutonicæ Germanos dejicerent. Quibus anno 1659. d. 3. Aug. Hansa Teutonica opposuit in Parlamento exceptiones sub- & obreptionum, quas exhibet Hagemeyer *in Comment. de fæd. Civ. Hans. ad fin.* Ita nunc quoque in hujus curiæ ac jurium suorum usu persistunt, & nec sub Carolo II. turbati, nec, quod sciam, sub piissimo ac fortissimo Rege hodie inquietantur.

§. 13. Jure Canonico quoque, si status personæ ita mutetur, ut jurium possessio auferatur, ut in *ap. 2. §. 5.* vel, si casus incidat, in quem prohibita est dispositio, ut *d. cap. 2. §. 6.* certum omnino est, negotium
non

non valere, quasi in casum incidat, unde incipere nequit: tametsi jusjurandum accesserit; id enim quat. casus superveniens illicitus est, servari non oportet. Unde si quis juravit, se alterius mandato pariturum, deinde iste mandet ab uxore divortere, filios exheredare &c. non tenetur. 23. X. de jurej. Si maritus juravit, se nunquam dimissurum vel accusaturum uxorem, & deinde mulier fornicationem vel adulterium committat, varia cautela adhibetur, nec potest fidem jurisj. fallere, quat. à suo id arbitrio pendet. Igitur accusare divortium nequit, denunciare ad pœnitentiam potest: c. 25. §. fin. x. eod. hætenus enim tantum turpitudine inesse juramento huic videtur, quod licentiam peccandi & quasi lenocinium quoddam contineat; quæ cessat ratio, si denunciandi tamen facultas relinquatur, quæ jurejur. comprehensa non fuit: de cætero verò jus accusandi arbitrarium est. tot. tit. C. Ut nem. inv. ag. vel accus. Porro, si civitas Principi juret, se ei nunquam adversaturam, deinde ille eam, ecclesiasque ejus vi invadat, jure defensionis adhuc uti, nec ei ratione civitatis & ecclesiarum renunciare potest: modò nihil moliantur in personam Principis, aut fines defensionis excedant. l. 31. X. eod. &c.

§. 14. Id tamen tritum satis est, quod Jure Canonico mera juris positivi prohibitio non impediatur jusjurandum, sed illud planè servandum fit, si absque præjudicio animæ servari possit: ut si prohibitio tantum facta sit in favorem jurantis, adeoque jurans præstare sine turpitudine rem possit. c. 28. x. eod. Igitur, si ab initio illa prohibitio juramento nihil derogat, nedum si casus prohibitus postea demum superveniat: quod accidit in specie illa, quâ maritus jurat, se non
accusa-

accusaturum uxorem quæ deinde adulterium committit: etsi enim jure civ. pactum, ne adulterii agatur, planè nullum atque illicitum sit, *l. 18. C. de Transact.* & maritus debeat irasci matrimonium suum violanti, adeoque tale pactum in crimen lenocinii incidat; *l. 29. princ. ff. ad L. Jul. de Adult.* veruntamen, cum excepta impunitate delinquendi, cui evitandæ sufficit denuntiatio, reliqua sint juris arbitrarii, hinc propter juramentum suum maritus accusare nequit, etsi denunciare licitum ipsi sit. *d. c. 25. in princ. §. fin.*

§. 15. Quoad accidentia Jure Can. idem obtinet ac jure civili; scil. ut negotium, etsi mutato per accidentia ejus statu, subsistat nec irritum fiat *sup. cap. 2. §. 10.* nisi in casibus jure civ. exceptis, de quibus suo loco: neque verò ullibi id Jure Can. mutatum apparet. In materia conjugali tamen cautum est, si quis juraverit, se Sejam uxorem ducturum, quæ deinde fit leprosa, paralytica, vel insigniter deformis; uti amisso naso &c. non tenetur eam ducere, etsi conjugio perfectio non posset ob has causas ab ea divortere. *d. c. 25. princ. vers. Quodsi.* Verùm nec eo Canones à jure communi hætenus recedunt; cum ea sint sponsalia saltem de futuro, unde jure civili nullum conjugii vinculum nascitur. *l. pen. C. de Sponsal.* Jure Can. verò firmiter quidem obligant, sed ita tamen, ut ob probabiles causas inde recedi possit. *c. 2. X. de Sponsal.* Cur verò jusj. non obtinet, cum tamen à parte jurantis sine peccato præstari possit? Resp. Ejus rei causa est, tum quia de eo casu nec cogitavit, nec, si cogitasset, ducturus fuisset talem foeminam. *sup. cap. §. 12.* tum quia ob metum majoris mali toleratur ejusmodi dissolutio. *d. c. 2. X. de Sponsal.* Sunt quidem & varii modi solvendi ex

De Claus. Rebus sic stantibus. Cap. 4. 25

di ex post facto negotia aliaque jura, sed quæ vel huc non pertinent, vel suis locis tradentur.

CAP. IV.

De
*Effectibus Clausulæ in jure Ci-
veli, & quidem in jure personarum.*

SUMMARIA.

- | | |
|--|--|
| <p>§. I. In causa noxali servus in eadem causâ sisti debet.</p> <p>2. Uti in cautione judicio sisti quilibet reus.</p> <p>3. Quando videatur in eadem causa sisti: Interesse, actio an exactio difficilior fiat.</p> <p>4. Conciliatio l. pen. Si ex nox. caus. §. l. i. §. i. ff. de Pœn.</p> <p>5. Explicatio uberior d. l. pen.</p> <p>6. Venter trium liberorum vicees quat. gerat.</p> <p>7. Legitimationibus & adoptio-</p> | <p>nibus, non inest clausula, rebus sic stantibus.</p> <p>8. An Unioni prolis insit; quorundam Sententia.</p> <p>9. Rejicitur illa.</p> <p>10. Unio prolis morte non tollitur, etsi patria potestas, naturalis quoq; morte tollatur.</p> <p>11. Ad clausulam hanc nihil pertinet, quod jura certis modis finiantur: quia id fit salvo negotio ritè constituto.</p> |
|--|--|

§. I.

ET si in materia servitutis occurrunt, quæ hinc pertinere possint, cum tamen ea ab usu hodierno remota sit, id saltem exempli loco afferemus, quod, cum quis in causa noxali servum judicio sisti caverit, omnino teneatur eum in ea causa & in eo statu exhibere, in quo tum fuit. l. i. princ. ff. Si ex nox. caus. ag. Verum hoc ita intelligitur, ne in statu deteriore,

D

exhi-

exhibeatur; in meliore enim potest: quin sufficit jus actoris non esse factum deterius. *d. l. 1. §. 1. l. fin. ff. eod. l. 11. ff. Si quis caut. jud. sist.*

§. 2. Atque ita in genere, qui liberum quoque hominem, actione v. gr. civili conventum, iudicio sistere promisit, debet in eadem causa, & saltem non deteriore sistere. *d. l. 11.* atque ita inest isti stipulationi clausula, *rebus sic stantibus*. quia hoc actum fuit, ut idem & in eadem causâ sistatur, *juxta c. 2. §. 12.*

§. 3. Causa autem deterior tantum intelligitur ratione actionis, non ratione executionis; & videtur status mutatus esse, cum difficilior sit persecutio in iudicio, non cum difficilior executio vel solutio: uti non idem status est, si postea reus novum fori privilegium vel forum fortiatur, vel aliàs difficilior conventu fiat: non verò idem status esse definit, etsi reus postea bonis labatur, aut novum æs alienum contrahat, adeoq; difficilius solutio obtineri possit: quia cautio tantum de actione, id est, jure persequendi in iudicio; *argum. princ. Inst. de Action.* non de solutione debiti interposita, & de illa sola inter partes actum fuit. *d. l. 11.*

§. 4. Sed de servo, qui deliquit, anceps disceptatio est, an videatur in eadem causa sisti, si postea liber factus sistatur: qua in re collidunt inter se vehementer *l. pen. ff. Si ex nox caus.* ubi non videtur in eadem causa sisti; quia *aliter punitur servus, aliter liber: d. l. pen. & inter l. 1. princ. §. 1. & §. 2. ff. de Pæn.* ubi idem status durat, quia *servus dicitur eam pœnam sustinere debere, quam sustineret, si tunc sententiam passus fuisset, cum deliquisset.* De quarum conciliatione anxie laborant Dd. quibus missis dicimus, textum *d. l. 1.* agere de casu, ubi cum causa criminali non concurrit actio privata noxalis,

veluti

veluti si servus hominem liberum occiderit, &c. & deinde manumissus fuerit: ille enim punitur adhuc ut servus; (de cujus pœnis vid. l. 8. §. fin. l. 10. princ. ff. de Pœn.) neque alterius interest, cum privati actio nulla concurrat, & in d. §. 1. tantum quærat de casu, ubi servus æquè ac liber puniri potest, uti cum pœnæ corporales infligendæ sunt. Contrà verò, textum in d. l. pen. agere de crimine, ex quo causa capitalis & privata noxalis concurrunt, uti ex rubr. & tot. tit. Si ex nox. caus. constat: tum enim servus, qui deliquit, & deinde manumittitur, necessariò puniendus est juxta conditionem, in qua est tempore pœnæ, non in qua fuit tempore delicti: quia actiones noxales, quæ tempore delicti locum habebant, ipso jure per manumissionem extinctæ sunt, nec suâ naturâ in liberum hominem competere possunt; §. 5. Inst. de Noxal. act. l. 1. l. 2. l. 4. C. An serv. pro suo fact. post manum. ten. cum pugnet, liberum hominem, qui in commercio non est, noxæ dedi. Unde sequitur, quod etiam ex causa capitali ut liberum puniendus sit, quia in eadem causa non potest & servus & liber videri.

§. 5. Hinc jam porrò in d. l. pen. in quæstione, an in eodem statu sistatur, distinguitur inter actionem injuriarum noxalem, & reliquas noxales actiones: si actio injuriarum concurrat, uti v. gr. si ancillam alicujus vi compresferit, aut rapuerit, aut libero hominî atrocem injuriarum fecerit, quo nomine deportari saltem possit, (nam & hæc est capitalis pœna. l. 28. princ. ff. de Pœn.) non videtur in eadem causa sisti; quia graviolem multò vindictam pars læsa consequi potest à servo quam libero; ille verberibus satisfacere læso teneretur de injuriâ, hic tantum pecuniâ: idque ita expressè

pressè dicitur, in *d. l. pen. princ. ibi: Si de ipso controversia est capitalium actionum actionum, NB. injuriarumque nomine.* Si verò alia actio noxalis concurrat, ex qua pecuniaria tantum pœna & damni æstimatio est, v. g. *L. Aquiliæ, servus in eadem, quin in meliore casu sistitur d. l. pen. in fin.* quia jam actor in solidum consequi damnum potest, cum, si servus esset, noxæ deditioe contentum esse oporteret.

§. 6. Porrò fœminâ prægante venter trium liberorum vices gerit, adeoque, si eodem gradu aliquis existit jam natus, is non potest nisi quartam hereditatis partem petere. *l. 3. ff. Si pars hæc.* Verùm rebus sic stantibus: nam si postea pauciores nascantur, accrescit jam nato; si plures, decrescit; *d. l. 3. l. 4. ff. eod.* quod specialiter ita lege temperatum est *supr. cap. 2. §. 7. 8.*

§. 7. Cæterùm, neque legitimaciones neque adoptiones semel ritè factæ ob casum supervenientem tolluntur, neque inest iis clausula, *rebus sic stantibus:* nam nec furor superveniens statum dignitatemque mutat, aut patriam potestatem aufert, aut jura liberorum &c. minuit *l. 20. ff. de Stat. hom. l. 8. ff. de His qui sui vel al. jur.* nedum, si mutatio ratione bonorum fiat, & illa vel deficient, vel augeantur. Sanè, si status ipse mutetur per deportationem, proscriptionem, &c. idem hîc ut in omnibus aliis causis accidit, ut jura illa desinant. *supr. cap. 2. §. 10.*

§. 8. An idem de unione prolis, hodie locò adoptionum recepta? Sunt qui existimant, illam secutâ bonorum divisione tolli; quòd non valeat, nisi rebus sic stantibus. Et sanè non videtur illa post divisionem ullum ampliùs effectum habere, cum communicandæ hereditatis causâ constituta videatur.

§. 9. Ve-

§. 9. Verum, cum unio prolis sit species quædam adoptionis ab extraneo factæ, & revera alter conjux alterius conjugis liberos adoptet, omniaque adoptionis requisita adsint, non videtur illa divisione tolli. Nam & præmemorata adoptio ab extraneo facta nullum alium effectum habet, quam successionis ab intestato, *l. pen. C. de Adopt. §. 2. Instit. eod.* neque tamen ille qui ex hac causa successit, definit esse filius adoptatus: quoniam pactum unionis non est simpliciter de hæreditate, quod ex ratione juris ne quidem subsisteret, *L. f. C. de Pact. cap. 2. X. de Concess. præb.* sed de jure filii, quod jure communi quoque omnino valet, & hoc jus in stipulationem quoque deduci potest, *l. 132. de Verb. Obl.* etsi vi ipsa insit conventio de successione. *L. 27. §. 3. de Pact.* Quod autem aliis unita proles non succedat quàm parentibus, id non inde est quia unio sublata, sed quia pacto unionis alia successio comprehensa non est.

§. 10. Sed nec morte unio prolis tollitur, non magis quàm adoptio vel legitimatio, etsi verum sit, quod patria potestas, etiam patris naturalis, morte patris vel filii tollatur: aliud enim est patria potestas, aliud modus & negotium, quo illa constituitur: ipsa potestas nulla est nisi viventis, & proinde ex natura correlatorum, cum pater & filius relata sint, uno eorum sublato alterum quoque tolli necesse est: at negotium semel ritè contractum, uti legitimatio, adoptio, unio prolis, morte non infirmatur. Quin etsi relatum esse nequeat absque correlato, tamen, si qualitas perpetua aliqua per relationem inducta sit, durat, sc. qualitas filii; quemadmodum hodieque omnes homines sunt filii Adami & Noachi.

§. II. Sed etsi morte tolleretur unio, non tamen id fieret vi clausulæ, *rebus sic stantibus*; non magis quàm cum debitum solutione extinguitur: id enim non fit, quia debitum mutato statu infirmatur, sed contra, quia ei satisfit: conventiones enim & obligationes ritè contractæ validæ sunt ac manent, et si solutione debitum tollatur. Omnia enim jura, uti certis modis constituuntur, ita certis modis finiuntur; quibus proinde finiendi modis jura constituta, non negotia seu modi constituendi finiuntur. Illud igitur nihil commune habet cum clausula, *rebus sic stantibus*; cujus vi ipsum negotium, v. gr. contractus semel ritè initus & validus, non amplius valere dicitur.

CAP. V.

De

Vi clausulæ in juribus rerum & quidem in juribus in rem,

SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| <p>§. I. Quatuor tantum dantur juris species in rem, in quibus regulariter non obtinet hæc clausula.</p> <p>2. Dominium nunquam mutatione quadam tollitur.</p> <p>3. Publiciana ob supervenientem malâ fidem competere desinit.</p> <p>4. Refutatur argumentum contrarium.</p> <p>5. Usucapionibus jure civ. inerat</p> | <p>clausula, R. S. S. quod jure Can. mutatum.</p> <p>6. Etia jure can usucapionibus & præscriptionibus inest clausula R. S. S. Hinc regulæ utriusq; juris contrariæ.</p> <p>7. Uxor dotem stante matrimonio repetere non potest.</p> <p>8. Quod autem intelligendum, rebus sic stantibus.</p> <p>9. Nisi sciens mulier obarato nupse.</p> |
|--|---|

nupserit.

10. *Lege Julia prohibetur maritus fundum dotalem alienare, valet tamen alienatio si postea plenum ejus dominium acquisiverit.*

11. *Quomodo hoc conciliandum cum regula Catoniana.*

12. *In servitutibus itidem hæc clausula non valet, nec finiendi modi hûs pertinent.*

§. 1.

Jura rerum nec plura nec pauciora esse quam quatuor, dominium (cujus variæ species sunt) hereditatem, servitutem, & pignus; nudam possessionem autem non esse speciem juris, sive in rem sive ad rem, sed facti, quod juri opponitur, etsi ex jure quædam mutuetur, v. g. quod ad instar juris remediis possessoriiis interim dum de jure cognoscatur defendi possit, expositum atque demonstratum jam est. *Disp. de jure ejus quod facti est &c. sub. Dn. Præside habitâ. sect. 3.* In quibus omnibus eadem, quæ *cap. 2.* tractata sunt, obtinent, nec clausulam hanc regulariter ratione accidentium, etsi illa mutantur, admittunt.

§. 2. Et quidem dominium quacumque mutatione facta nunquam tollitur, adeo ut ædium dominium, iis destruetis, maneat adhuc in area & ruderibus: idemque est in pignore. *l. 16. §. 2. de Pignor.* Non potest itaque vis clausulæ hinc operari nisi in unica illa specie *cap. 2. §. 5. & 6.* scilicet si in eum statum res pervenerit ut possideri nequeat. Nam interitus aliorum modi amittendæ rei huc non pertinent, ut dictum *cap. 4. §. fin.*

§. 3. In Publiciana verò actione quæritur, si quis initio b. f. ac justo titulo rem acceperit, an ob supervenientem malam fidem desinat illa competere? Quidam equidem adeo existimant malam fidem supervenientem non nocere Publicianæ, ut nec jure Canonico, quo jure usucapio propter eam interrumpitur, aliud in Publicianâ con-

nâ constitutum sit, sed utroque jure, etsi superveniat m. f. eâ agi possit. Lauterb. *Compend. h. t. pag. 119.* Verùm è contrario dicendum est, neutro jure Publicianâ agi posse superveniente mala fide, & ne jure civili quidem, quo usucapio eâ non obstante procedit; tantùm abest, ut utroque. Semper enim in eo quod facti est, requiritur bona fides; per *L. 48. §. 1. de Acq. rer. dom.* agere autem facti est, & facti hominis, non ipsa potestate juris, possessor rem, quam amisit. recipit. Quod manifestum fit ex *L. 15. §. pen. ff. de Usurp. & Usuc.* ubi is, qui initio bona fide rem accepit, & amissam post eâ, cùm jam eam alienam esse cognovit, recuperavit, dicitur hujus secundæ possessionis initium vitiosum esse: non potuit igitur ex eo quod vitiosum est actio dari Cont. Disp. Exc. Dn. Præsidis *de Fin. bon. fid. in præscr. sect. 1. §. 13. 14. & 15.*

§. 4. Nec movet quòd correctio Juris Canonici, in sola usucapione facta, non possit ad causam Publicianæ favorabilem extendi. Nam (1.) non est hoc ab extensione juris Canonici, sed ab ipso jure civili, quo factum possessoris vitiosum, quo ipso quoque malæ fidei vitio jam tinctus rem repetit, non valet. (2.) Negatur, causam Publicianæ esse favorabiliorem quàm usucapionis. per *l. 2. §. 16. ff. Pro emt.* ubi utilitatis causâ admittitur singulariter usucapio, non Publiciana. E. illa magis est favorabilis, & ratio est, quia lites de dominio amputat. (3.) Regula, quòd jus novum ad minus favorabilia non debeat extendi, est præsumptio quædam in casu dubio; quæ cessat, ubi alia præsumptio fortior est, nedum ubi aliud ex manifesta ratione apparet; uti hîc ex *d. l. 48. §. 1.*

§. 5. Usucapionibus verò jure civili ratione bonæ

næ fidei inerat clausula R. S. S. quoniam superveniens mala fides rupit usucapionis cursum initio utiliter cœptæ: *l. pen. ff. de Usurp. & usucap.* idque ideò, quia usucapio, si semel possessor justo titulo & bonâ fide acceperit, (hoc enim facti est) jus continet, idque sola potestate juris sine novo hominis facto consequitur. *d. l. 48. §. 1.* Verùm hoc jure Canonico mutatum est, quo mala fides superveniens usucapionem quoque interrumpit: *cap. 5. cap. fin. X. de Præscript.* quod obtinet non tantùm in usucapionibus, sed & in præscriptionibus, si is, qui convenitur, rem alienam possidet, non si suam debet, prout plenius demonstravit Dn. Præses in *d. Disp. de Fin. bon. fid. in præscr. sect. 2.* & deinde latius nuper in alterâ ejusdem rubricæ Disputatione superioris apologeticâ, defendit.

§. 6. Igitur jure Canonico hisce usucapionibus & præscriptionibus quoque clausula, *Rebus sic stantibus*, inest, quia bona fides eo jure omni tempore requiritur, atque adeò est de substantialibus usucapionum; quæ proinde cessant, si in eum casum incidant unde incipere nequeunt. *sup. cap. 2. §. 5.* At jure civili pertinebat bona fides tantùm ad substantiam actûs vel negotii, quo inchoatur usucapio, & quod in facto hominis consistit. Eo itaque jure regula obtinebat; Quod semel utiliter gestum est, ex superveniente casu non tollitur. *d. cap. 2. §. 4.*

§. 7. Uxor dotem stante matrimonio repetere non potest. *l. 29. l. 30. C. de fur. dot.* adeò ut etiam maritus, etsi sponte velit, restituere ei dotem nequeat, sed solutam quoque cum fructibus repetere possit: *l. un. C. Si dos const. matr.* esset enim donatio quædam inter conjuges legibus prohibita. *tot. tit. de Donat. int. Vir. & Ux.*

E

§. 8. Ve-

§ 8. Verum hoc intelligitur, *Rebus sic stantibus*, quoad bona mariti: marito enim ad inopiam postea, vergente, uxori licitum est stante matrimonio dotem, vel, si partem jam accepit, residuum repetere. *d. l. 29.* Nec tenetur expectare quoad maritus jam bonis lapsus sit, sed sufficit, si ipse incipiat res suas prodigere, & ita inopiam minari *Nov. 109. c. 6* modo mulier id probet. *Carpzov. Jurispr. for p. 2. const. 24. def. 11.* Nec tantum repetere res suas dotales potest, sed & res pecuniâ dotali comparatas: *l. 12. C. de Fur. dot. Perez. C. de Fur. dot. n. 3.* (ubi quod *n. 4. aliud, & sc. separationem bonorum hodie obtinere, aut, ad mores Belgicos pertinet*) eademque privilegia habet ac finito matrimonio. *Carpz. d. tract. p. 1. const. 28. def. 69.*

§ 9. Secus est, si mulier sciens obærato nupsit, quæ hoc beneficio uti nequit: *arg. l. 3. §. fin. ff. Ut in poss. leg. l. 5. §. 1. C. de Sponsal.* quia tum non potest dici status mutatus ratione bonorum si maritus jam tempore nuptiarum solvendo non fuit, & igitur applicari tum non poterit clausula, *rebus sic stantibus*, statu quippe eodem durante & non immutato. Unde merito Dd. comm. hoc casu negant mulieri prædictum beneficium, si id sciverit. *Gail. 2. observ. 84. Heig. p. 2. quest 7. n. 59. & 60. Berlich. p. 1. concl. 65. n. 81. Carpz. d. tr. p. 1. const. 28. def. 84.* ubi pluribus rationibus id defendit, etsi olim Facultas Juridica Lipsiensis contrarium responderit. *d. def. 84. n. 11.*

§ 10. Dotis dominium civile mariti, naturale uxoris, etiam stante matrimonio, esse patet *ex d. l. 30. C. de Fur. dot.* quæ frustra à quibusdam sugillatur. Sed lege Julia prohibetur ille fundum dotalem alienare, adeoque omnis ejus alienatio est ipso jure nulla, etsi mulier

lier consentiat : *l. 1. § tot. tit. ff. § C. de fund. tot.* nisi
postea maritus plenum ac perpetuum dominium ac-
quisiverit ; v. gr. si maritus ex pactis dotalibus, vel
quia uxor causam divortio dedit, vel aliis justis ex
causis dotem lucretur. *l. pen. ff. eod. tit. l. 42. ff. de U-
surp. § usuc.* Quod quidem non est exemplum, quo
statu mutato negotium infirmatur, sed è contrario,
quò quod initio nullum est statu mutato convalescit,

§. 11. Equidem ei adversatur regula Catoniana:
quâ quod initio nullum est, ex post facto non potest con-
valescere. *l. 1. princ. ff. de Reg. Caton.* Verùm, illa cessat
in causis, quæ jam ab initio ab aliquo eventu pen-
dent, quo deinde existente valent, deficiente defici-
unt ; idq; non tantùm quando sub expressa conditio-
ne relictum, adeoque in conditionis expressæ even-
tum suspensum est ; sed & qualiscunque sit ille even-
tus, uti hac specie : cùm enim ea sit natura dotis, ut
regulariter quidem finito matrimonio restituenda sit,
quibusdam tamen casibus, uti prædictis & similibus,
maritus eam lucretur, eoque plenam habeat alienan-
di potestatem, ab hoc eventu quodammodò suspen-
sum est jus alienandi, eoq; existente convalescit, nec
regula Catoniana eò pertinet. *l. 3. l. 4. ff. eod.*

§. 12. In usufructu & servitutibus realibus clau-
sula hæc itidem non valet, mutatis accidentibus. Mo-
di verò, quibus finiuntur, uti servitutes reales con-
fusione ; usufructus mutatione speciei, & plurimis
aliis, huc non pertinent. Non enim id fit vi hujus
clausulæ, nec negotium infirmatur, sed validum est,
& jus hucusque subsistit, donec per modos jure con-
stitutos finiatur ; uti si emtor rem emtam & traditam
iterum vendiderit, acquisivit enim ille ex valida cau-

sa quæ nullatenus infirmata est, dominium, sed a-
lio contractu id iterum transtulit. Atq; ita de cœteris.

CAP. VI.

De

Effectibus clausulæ in con-
tractibus.

SUMMARIÆ.

- | | |
|---|--|
| <p>S. I. Contractibus non inest re-
gulariter clausula, re-
bus sic stantibus, &
quæ huc referrineque-
ant?</p> <p>2. Nec deficiunt illi, etsi postea
inhabilitas ad contrahen-
dum supervenerit.</p> <p>3. Speciali lege locationem re-
vocari posse quatuor casi-
bus ex l. 3. C. de loc. cond.</p> <p>4. Prima species, si ipse loca-
tor indigeat.</p> <p>5. Ejus extensiones, An secus
sit, si domus satis spaciofa
sit utriq;.</p> <p>6. Altera species, si res refe-
dtione egeat; ubi sensus l. 3.
S. 3. Uti poss. exponitur con-
tra Harpr.</p> <p>7. Tertia species, si conductor
re abutatur.</p> | <p>8. Quarta, si biennio Canonem
non solvat.</p> <p>9. Refellitur sententia eorum
qui putant primo statim an-
no expelli posse, & solvun-
tur contraria.</p> <p>10. His quatuor casibus expelli
conductor potest, & juberi
ut discedat.</p> <p>11. An propria autoritate vi
expelli possit? Disting. &
traditur sensus l. 18. ff. de vi
& vi arm.</p> <p>12. An his casibus debeatur
merces in solidum an pro ra-
ta? Dist.</p> <p>13. An renunciari possit benefi-
cio d. l. 3. Disting.</p> <p>14. Quibus casibus beneficium hoc
cesset? Disting.</p> <p>15. An videatur renunciatum
d. l. 3. cum pacti sunt de non
expel-</p> |
|---|--|

- expellendo conductore? Neg.
16. Alia species, si domus spectris infestetur?
17. Casus quibus societati inest clausula, rebus sic stantibus.
18. Quando donationi deposito. Ec. insit; & quid si donator egeat.
19. Quid si liberi superveniant.
20. Species ubi Tiberius juris gratiam fecit.

§. I.

Conventionum natura & species vulgò perspectæ sunt, quæ semel ritè initæ & jure validæ non infirmantur statu mutato. nec clausulam, *rebus sic stantibus*, si pactis inserta illa non fuerit, admittunt; excepto casu, quo vitium, quod perpetuò abesse debuit, supervenit, & ita in calum incidit unde incipere nequit; v. gr. statu personæ immutato, vel re commercio deinde exempta &c. Nam sæpius jam dictum est, nihil ad hujus clausulæ vim atque effectum facere, quando novo contractu vel ex nova causa quid mutatur, hæc enim duo distincta negotia sunt; vel quando tantum quæritur, quod tempus inspiciendum sit in læsione, vitio rei, precio &c. vel quando modis lege constitutis obligatio ex contractu finitur: ea enim ex aliis causis quàm ex vi hujus clausulæ oriuntur.

§. 2. Sed &, siabilitas personæ, quæ ad substantiam actus & negotii requiritur, postea deficiat, non ideò contractus, qui semel jure substitit, vitiatur: uti si is qui contraxit, furere incipiat, aut prodigus declaretur &c. hæc enim vitia, etsi supervenerint, non tollunt quod initio rectè gestum atq; contractum est. *l. 6. C. de Curat. fur. §. 1. in fin. Inst. Quib. non est perm. fac. test.*

§. 3. Ex speciali tamen juris civilis constitutione

fit, ut quibusdam casibus contractus mutato in fo-
lis accidentibus ejus statu vim suam perdat, eòq; ha-
ctenus insit clausula, *rebus sic stantibus*. Ita rebus a-
lii locatis licitum est locatori quatuor casibus à con-
tractu recedere, etsi contractus valeat & subsistat. *ex*
l. 3. C. de locat. & cond.

§. 4. Prima species est, cum ipse locator postea
indiget re locata: tum enim revocare eam potest,
modo necessitas illa non jam tempore contractus ap-
paruerit, aut imminere cœperit, sed ex post facto in-
ciderit, *l. 3. C. de Loc. cond. c. pen. X. eod.* & locator ne-
cessitatem suam, probaverit: nec juramentum ejus suf-
ficit. Fab. *C. lib. 4. tit. 42. def. 51.* Carpz. *p. 2. Const. 37. def.*
6. n. 6. & seqq. Ant. Gabriel. *lib. 3. tit. de Locat. concl. 3.*
Trentacinq. *lib. 3. tit. de loc. cond. Res. 4. per tot.* & D. Lau-
terb. *ff. de loc. cond. pag. 376.*

§. 5. Cœterum extenditur hoc beneficium, & adeò
competit locatori, ut (1.) revocata locatione pignus
quoque, si quod constitutum est conductori, interci-
dat, sublato quippe vi clausulæ, *rebus sic stantibus*, quæ
lege inest, debito principali. Covarruv. *lib. 2. Var. res.*
cap. 15. n. 4. etsi dissentiat Christin. *Vol. 3. dec. 115. num. 4.*
& alii apud Trentacinq. *d. Res. 4. n. 8.* (2.) Ut non te-
neatur locator pati, ut secum habitet conductor, etsi
domus satis spaciofa sit, & uterq; habitare commodè
possit: quia dominus non tenetur habitare cum alio.
Et vel teneretur locator ex conductione vel ex alia cau-
sa: non ex conductione, quæ inita fuit ut conductor
solus habitet, (quod vi legis & clausulæ nostræ revoca-
tum est) non ut, si dominus ipse habitet, admittere quo-
que alterum teneatur: neque ex alia causa, cum con-
ductor nihil juris nisi ex conductione habeat. Atq;
sic

ſc ſentiunt poſt Baldum Trentacinq. *d. ref. 4. num. 2.* Christin. *d. dec. 115. n. 5.* D. Lauterb. *d. loc. pag. 376.* Equidem, ſi domus ſpaciis & diætiſ abundet, & conductor ita habitare in earum, aliqua poſſit, ut nihil incommodi locator ſentiat, durum eſt eum contra fidem contractus expelli. (3.) Hoc extendunt etiam ad locum à ſtudioſo conductum, D. Lauterb. *d. l. etſi diſſentiat Trentac. d. tit. n. 7.* & Harpr. *in S. fin. n. 14. Inſt. de loc. cond.*

§. 6. Altera ſpecies eſt, cùm res locata refectione neceſſaria indiget; *d. l. 3.* quo caſu ſi adhuc abſque magno incommodo habitare poſſit conductor, nihil mutatur, ſed integram tamen mercedem debet; ſi verò non poſſit, tenetur relinquere habitationem dum durat reſectio: modò aliàs periculum eſſet ruinæ. Christin. *d. dec. 115. n. 7.* Harprecht. *ad princ. Inſt. de loc. cond. n. 65.* Quod ſi jam tempore locationis neceſſitas reſectiendi fuerit, tenetur dominus ad id quod intereſt, ſi conductor id nesciverit. Christin. *d. n. 7.* Quod ſi conductor prohibeat dominum reſectere, tenetur interdicto. *Uti poſſidetis: l. 3. §. 3. ff. Uti poſſid.* qui textus non reſtringendus eſt ad refectionem non neceſſariam, quod vult Harpr. *d. l.* ſed, uti jacet, generaliter intelligendus: ſemper enim conductor, ſi dominum reſectere prohibet, ejus poſſeſſionem turbat, *d. l. 3. §. 2.* modò dominus teſtetur, ſe id facere poſſidendi, non turbandæ habitationis gratiâ: *d. l. 3. §. 3.* alia autem quæſtio eſt, quando interim deſerere habitationem conductor debeat: quæ confundere videtur Harpr. *d. l.*

§. 7. Tertia ſpecies eſt, ſi conductor malè in re conducta verſetur *d. l. 3.* Incumbit enim conductori uſus tantùm ſalvâ ſubſtantiâ. Ergo uti debet, non abuti;

abuti; sed, siquidem damnum tantum reparabile datum est, tenetur ex levi culpa ad ejus reparationem, salvo contractu: ut constat. *l. 5. §. 2. ff. Commod.* quod si verò malè versetur, ita ut perpetuam substantiæ deteriorationem inducat, revocari locatio potest, etiam si alia parte rem meliorem effecisset. *Christin. d. dec. 115. n. 8. & n. 10. Trentacinq. d. tit. n. 10.* neque improbandum est, quòd *D. Lauterb. d. l.* huc etiam abusum moralem refert, uti si maleficos, meretrices &c. domo recipiat, lupanaria exerceat &c.

§. 8. Quarta species est, si pensionem non solverit, *arg. d. l. 3. princ.* sed distractæ sunt *Dd.* sententiæ de tempore, quo locatio ob moram solvendæ pensionis revocari potest. Qua in re admittenda est communior sententia, ut revocari locatio possit, si biennio pensionem non solverit. *l. 54. §. 1. l. 50. ff. loc. cond. arg. l. 2. C. de Fur. Emph. Auth. Qui rem. C. de SS. Eccles. Tulden. C. de loc. cond. n. 12. Trentacinq. d. ref. n. 11. Dn. Brunne- man. in d. l. 3. num. 11.* nam nec longior mora indulgeri potest conductori temporario, quàm perpetuo, seu Emphyteutæ; nec brevius tempus sufficit, quia non est in mora conductor, nisi anno jam lapso, adeoque alter annus, qui jam cœpit, ipsi indulgendus est. *dd. ll.*

§. 9. Putant quidem alii, statim primo anno lapso expelli posse, *arg. l. 10. ff. de Publican.* eò quòd res pendeat à mora, quæ primi anni lapsu commissa jam est; & textum in *d. l. 2. & d. Auth. Qui rem. de Emphyteusi; in d. l. 54. §. 1. de casu quo pactum de non expellendo adjectum; in d. l. 56. de casu absentia loqui. vid. Tulden. d. l. Petr. Castal. ad d. l. 56. Trentac. d. Ref. 4. n. 11.* Verùm, nec solius moræ effectus est privatio rei: Et ex Emphyteusi non minùs accuratè canon debetur quàm ex locatione pensio;

pensio; adeoque hætenus eadem ratio est. Nec pactum de non expellendo ante terminum locationis singulariter aliquid operatur, cum ipso jure insit, *Conf. §. sequ.* Nec absentia excusat, nisi sit necessaria vel publica, quo casu restitutio datur ex edicto. *Ex quib. caus. maj.* Quod autem in *d. l. 10. ff. de Publican.* dicitur, speciale est in publicanis.

§. 10. His 4. casibus igitur supervenientibus contractus locationis revocari, & conductor expelli potest. *d. l. 3.* Sed an privata autoritate possit, plurima controversia est. Omisfis aliis, distinguendi sunt actus expellendi. Certum enim est, quod locator, ut à re locata conductor recedat, jubere, atque hoc sensu expellere queat.

§. 11. Verùm, si conductor non paruerit, an locator vi fundum ingredi & ita vi expellere conductorem possit, quæritur? Equidem id videtur, quia locator ipse non obstante locatione possidet. *d. l. 3. §. 2. §. 3. ff. uti poss.* adeoque fundum ingredi, emptoremque in eum mittere ita potest, ut conductor, si eum repellat, pro prædone habeatur, & dominum dejecisse videatur. *l. 18. princ. ff. de Vi & vi arm.* Verùm enim verò, si conductor animo turbandæ possessionis id faciat, omnino ut prædo conveniri potest, *dd. text.* si conductionis tantum tuendæ causâ, non potest, quia conductor suo jure utitur. *arg. d. l. 3. §. 3.* Hinc, si condictio jam finita sit, idque appareat, (uti non tantum lapsa locationis tempore, sed & si locator rem alii vendat & emptorem in possessionem mittat, qui stare locationi non tenetur, ut in *d. l. 18.*) omnino vi quoque ingredi & tueri possessionem suam locator potest, & si conductor eum repellat, interdicto de vi tenetur. In cæteris verò casibus, ubi conductor negat conductionem finitam

tam esse, eoque suam conductionem tantum defendit, privata vi expelli nequit, sed causa autoritate judicis explicanda est. Quàm varii hîc sint Dd. jam mittimus.

§. 12. Horum tamen casuum quædam differentia sunt. I. Quòd in tertia specie conductor ad totam mercedem & omne quod interest teneatur; *Nov. 7. cap. 3. §. 2.* in cæteris tantum pro rata temporis. *l. 30. princ. ff. de Loc. cond.* etsi enim etiam in ultima specie videtur tota merces deberi, *d. Auth. Qui rem. C. de SS. Eccl.* id tamen non dicitur in *d. Nov. 7. cap. 3.*

§. 13. II. Quòd in tertio casu non possit renunciari beneficio *d. l. 3.* nec valeat pactum de non expellendo conductore, etsi abusus re locatâ fuerit, quia pactum illud promittit impunitatem delinquendi & abutendi, adeoque turpe est. Quanquam verò tale pactum non excludat restitutionem damni dati, adeoque hætenus impunitatem non permittat, tamen & hoc turpe est, quòd pœnam coercendæ turpitudini statutam aufert. In cæteris verò pactum id valet.

§. 14. III. Cessat beneficium *d. l. 3.* in quibusdam casibus: In prima cessat, si plures rem communem locaverint, & unus eâ indigeat; is enim revocare nequit; quia nec parte pro indiviso uti, nec solus rem totam repetere potest qui partem tantum habet; & obtruderetur conductori partialis solutio. *Carpz. p. 2. dec. 137. n. 12. & seqq. ubi ita responsum refert.* In omnibus, exceptâ tertiâ specie, renunciatione, saltem tacita: uti si locator postea mercedem iterum acceperit. *Ant. Gabriel. lib. 3. tit. de Locat. cond. concl. 3. in fin.*

§. 15. Quæritur autem, an videatur beneficium *d. l. 3.* renunciatum, cum locator pactus est de non expellendo conductore? In qua quæstione iterum discedunt

dunt in varias sententias, & plurimi affirmant; quia aliàs nihil verba illa operarentur; pactum autem debet aliquid operari. Ant. Natt. Vol. 3. Conf. 481. n. 19. Carpzov. Jurispr. For. P. 2. Const. 37. def. 7. Ant. Gabr. d. tit. de Locat. concl. 3. n. 2. & 3. Verùm contrà, verba nihil operantur, quando, quod dicunt, aliàs quoque & ipsa legis potestate inest, tunc enim illa admonitionis potius quàm dispositionis causâ intelliguntur adjecta. ut dicitur in l. 6. §. 1. ff. de Tutel. l. 19. §. 1. l. 107. ff. de Cond. & dem. l. 3. ff. de Legat. 1. l. 12. ff. de Cond. Institut. l. 69. ff. de Hered. instit. Castrens. n. 2. & Alciat. n. 1. ad d. l. 3. ff. de Legat. 1. Et, cùm renunciatio juris sui non præsumatur sed probanda sit, l. 25. pr. ff. de Probat. ex verbis illis supervacuis nihil certi inferri potest. Atque hæc ut verior, ita communior Dd. sententia in dubio videtur. Covarruv. lib. 2. var. res. cap. 15. n. 4. vers. Ex quo mihi &c. Trentac. d. res. 4. n. 6. Carpz. d. decis. 115. n. 8. ubi specialem renunciationem d. l. 3. requirit, etsi loco sub allegato generali acquiescere videatur. Brunn. ad. d. l. 3. n. 2. ubi quidem generalem renunciationem admittit, sed in seq. ita id exponit, si locator id voluerit: quod probari proinde debet.

§. 16. Ita & à parte conductoris deseri locatio potest, si justam timoris causam habuerit, nec tum ad mercedem obligatur, etsi verè periculum non sit. l. 27. §. fin. ff. loc. cond. Qualis est metus contagionis. An & spectrorum? Equidem ab his illusionibus neque piis hominibus damnum, neque cordatis metus facile infertur. Veruntamen ea hominum apparet communis propè imbecillitas, ut ad visum talis ostenti timeant & contremiscant, & Horatius ea contemnere magni animi esse arguit, lib. 2. Epist. 2. in fin.

Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?

De quo metu disserunt pluribus Covarr. lib. 4. Varr. Res. c. 6. & Doctis. Tulden. C. de Loc. cond. n. 13. qui ait; hæc oriri ex indignatione Numinis, his furiis sceleratos agitantis. Sanè, si quis attendat, apparebit satis, apud populos illos, qui harum rerum superstitione minimè ducuntur, minimè quoq; spectra apparere, adeò ut apud illos planè dubitetur, an sint: etsi Juvenalis, Sat. 2. in fin. expedire putet credi,

Esse aliquid manes & subterranea regna &c. Sed tu vera puta &c. Quoties hinc talis ad illos Umbra venit &c.

§. 17. Sed his misis ad alia properandum est. In societate quoque exempla sunt quibus illa finitur mutato quorundam, etiam accidentium, statu: uti bonorum publicatione & cessione: §. 7. §. 8. Inst. de Societ. l. 4. §. 1. ff. Pro soc. etsi societas etiam cum socio egeno & operam tantum conferente iniuri possit. §. 2. vers. nam & ita. Institut. eod. l. 29. §. 1. ff. eod. Hinc facile patet, quòd depositarius non debeat gladium depositum furioso reddere, cui nec solvere jure potest. l. 31. §. 1. Depos. sup. c. 2. §. 2. Si autem procurator fiat decoctor, intelligitur mandatum revocatum; si proscribatur, ipso jure nullum est, cum proscribitur procurator esse nequeat: & sic porrò de aliis, quæ ad clausulam non pertinent, sed ex nova causa sunt vid. cap. ult. Quibus exemplis etiam intelligitur, quid in Cambiis, renunciationibus, fidejussionibus &c. statuendum, quibus clausula non inest, nisi juxta tradita cap. 2.

§. 18. Ex donatione, si donator egeat, tenetur quidem, sed non ultrà quàm facere potest. l. 19. §. 1. ff. de Re Jud. Quod perinde in omni beneficio, ut vocant, competentia usivenit, ut quibus casibus illud obtinet, negotium intelligatur, ratione bonorum, *rebus sic stantibus*, & dum reus ac quatenus solvendo est. Ut appareat

pareat, ea omnia esse inventa juris positivi; & in certis & singularibus casibus ex varia æquitate magis, quàm quasi hæc clausula in fit, ita constituta esse.

§. 19. Quemadmodum etiam illud quòd donatio ejus, qui, cum liberos non habeat, magnam partem bonorum alii donat, intelligitur, quoad improles manet; supervenientibus verò liberis, & proinde, rebus hæcenus non amplius sic stantibus, rescinditur donatio, ex *l. 8. C. de Rev. don.* de quo cum latè satis Dd. passim egerint, & Tiraq. in primis prolixum in *d. l. 8.* tractatum ediderit, iis nihil nunc addimus, etsi essent, quæ notari possent.

§. 20. Deniq; omnem promissionem irritam fieri in illo casu, quo illicita & turpis fuisset illa promissio, jam dictum est *cap. 2. §. 6.* Atq; hinc Tiberius Cæsar equiti Romano, qui juraverat, se uxorem nunquam dimisurum, quæ deinde adulterium & incestum commiserat, juris gratiam meritò fecit; Sueton. in *Tiber. c. 35.* cum nec potuerit pacto se obligare, ut quasi leno esset uxoris suæ. *l. 18. C. de Transact. l. 29. d. ad L. Jul. de Adult. sup. c. 2. §. 6.* de quo pluribus jam dictum est, *cap. 3. sup.*

CAPUT VII.

De effectu clausulæ in ultimis voluntatibus.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| <p>§. 1. IN ultimis voluntatibus inest clausula ratione voluntatis testatoris.</p> <p>2. Quod ostenditur exemplis.</p> <p>3. Non verò inest ratione rerum legatarum, &c.</p> | <p>4. De dissensu Pauli in <i>l. 82. de Leg. 2. §. 1. 5.</i> Ad <i>L. Falc.</i> ubi refutatur ratio Pauli.</p> <p>5. Ostenditur, non esse hanc antinomialiam, etsi sit verus dissensus.</p> |
|---|---|

§. 1.

IN ultimis demum voluntatibus admitti suo sensu potest, inesse eis regulariter clausulam, *rebus sic stantibus*: scil. ratione voluntatis testatoris. Cum enim sola voluntas testatoris lex & norma sit ultimarum voluntatum, cesat omnino dispositio, si deinde ca-

ius superveniat, in quem id non voluisset testator: quanquam
revera id inde est, quia generalis dispositio non pertinet ad ea,
de quibus testator non cogitavit, & si cogitasset, ita non dis-
posuisset. *sup. c. 2. §. 13.*

§. 2. Tale est, si testator tutorem dederit, qui postea pro-
digus declaratur, vel furere aut capitalis inimicus esse incipit:
§. 11. *Inst. de Excus. tut.* vel si legatarius gravissimas inimicitias ex-
ercere incipiat. *l. 5. §. fin. ff. de Adim. leg.* Si instituat heredes ex-
traneos, & deinde lilius appareat, quem nescivit vivere. *l. 28. ff. de Inoff. test. l. 11. l. pen. ff. de Jur. Cod. l. fin. ff. de Her. inst.* Sic a-
gnatione postumi rumpuntur testamenta &c. §. 1. *Quib. mod. test. inf. &c.* etsi inter hos casus quoque sint, quibus invalida & illi-
cita fit dispositio. *juxta c. 2. §. 6. sup.*

§. 3. Ratione rerum legatarum verò idem hic est quod in
aliis causis, nec deficiunt legata mutatione rei legatae, nisi vel
testator hoc facto suo adimere voluerit, vel specificatione do-
minium translatum fuerit. *l. 44. §. 2. & seqq. ff. de Legat. 1. l. 88. ff. de Legat. 3. &c.*

§. 4. Sic jam tractatum est *sup. c. 2. §. 4.* si testator credito-
ri, quod sub conditione vel in diem ei debet, pure legaverit, a-
deoque in sit legato utilitas ratione temporis, deinde verò con-
ditio vel dies vivo testatore existat, adeoque utilitas intercidat,
legatum, quod semel valuit, non deficere, etsi postea casus, un-
de incipere non potuit, incidat. In hac specie Paulus *in l. 82. princ. ff. de Legat. 2.* seriò dissensit à Papiniano, *in l. 5. ff. ad L. Falcid.* sed à Justiniano rejectus est *in §. 14. Inst. de Legat.* idq;
meritò. Perperam scil. rationem, *Non valere quod incidit in casum unde incipere non potuit*, Paulus accommodavit huic casui: falsum e-
nim est, etsi temporis utilitas existente conditione ablata sit, o-
mnem ideò legati utilitatem jam semel natam defecisse. Nam,
cùm ab initio legatum valeat, adeoque ex eo jam aliæ utilitates
natae sint, v. gr. commoda plurium concurrentium actionum,
hypotheca &c. quippe quæ ex valido & semel utiliter subsistente
legato nasci & competere cœperunt, durant illa etiam existente
conditione; quia hujus existentia temporis tantum utilitates, non
cæteras, quæ jam inde semel utiliter partæ sunt, sustulit. Quod non
consi-

consideravit Paulus, accurate verò expendit Papinianus, atq; adeò hujus sententiam, reprobata sententiâ & ratione Pauli, meritò firmavit Imp. *in d. §. 14.*

§. 5. Neq; verò cuiquam ideò videri debet, leges contrarias seu *ἀντινομίας* esse in Digestis, contra mentem Imp. in *l. 1. §. 8. l. 2. §. 15. l. 3. §. 15. C. de Vet. jur. enucl.* cum textus Pauli, quippe cui vis legis expresse adempta est *in d. §. 14.* pro lege haberi, atque adeò legum contrarietas intelligi nequeat. Et quanquam Imp. omnia sua fecerit, adeoq; pro lege esse voluerit; non tamen pro lege haberi debet quodlibet fragmentum, quod in Digestis abusive lex dici solet, & sæpè ne oratio quidem est, nec sensum, si seorsim accipiatur, habet. *uti l. 2. & l. 39. ff. de Ædil. Edict. & s.* Sed lex est integra constitutio juris de aliqua causa, comprehensis omnibus ejus circumstantiis, exceptionibus, limitationibus, extensionibus, & abrogationibus &c. et si illæ in alios atq; alios titulos, textus, quin codices sparsæ atq; relatæ sint; id enim ob connexionem, vel institutum Juris universi componendi ordinem factum est: *d. l. 2. §. 14. d. l. 3. §. 13. C. de Vet. jur. enucl.* Illa omnia igitur, quæ ita de una causa constituta sunt, pro una Juris constitutione habenda, & perinde adeò est, eodem textu in continenti, an alio textu, titulo, vel etiam codice, mutatum id fuerit: uti jus *l. 6. §. fin. ff. de Rer. div.* jam tum antiquatum fuerat; quod tamen non in eodem fragmento, sed in *l. 7. eod. & l. 6. §. fin. de Relig.* additum est. Si quid enim jam olim mutatum fuerat, id in Digestis additur: quod autem Justinianus sustulit, id non in ipsis Digestis, (in quibus fragmenta Veterum, non suas sententias referri voluit) sed in Institutionibus vel Codice adjecit. Quæ latius persequi hujus instituti non est.

CAP. VIII.

De Effectu clausule in Jure publico & feudali, delictis, processu, &c. & denique de ejus abusu.

§. I.

IN Jure publico & feudali eodem modo spectanda est clausula, ut in Jure civili, neq; ex singulis causis exempla cum tadio repeti necessarium est. Remittimus igitur nos ad ea, quæ ex Jure communi hæctenus & imprimis in *cap. 2. & 3.* exposita sunt.

§. 2. In

§. 2. In delictis & processu quoq; clausula hæc applicari nequit, etsi supervenire possint causæ novæ, cur pœna remittatur, vel quis causa sua excidat; quæ ex vi hujus clausulæ non procedunt.

§. 3. Et in genere igitur apparet, quantopere vulgò abutuntur hac clausulâ: uti solet accidere in generalibus illis brocardicis, quæ nec legibus continentur, nec certis finib9 comprehensa sunt, quin ne certum quidem sensum habent. Ut ergò in pauca rem contrahamus, sex modis clausula hac abuti videntur. 1. Quòd non distingvitur status mutatio, sitne circa substantialia an accidentalia, quæ salvo negotio abesse & adesse possunt. 2. Quòd contractibus, quin omnibus propè negotiis dicunt inesse clausulam, *rebus sic stantibus*; adeoque mutato circa accidentia quoq; statu deficere; cùm contrà certum sit regulariter non inesse, nisi exprimatur, aut lege specialiter constitutum sit, ut tacitè inesse videatur. 3. Quòd confunduntur cum ea quæ nihil commune cum ea habent, ut, quòd tempus contractus inspiciatur ratione precii, vitii, læsionis. Nam hæc alia quæstio, ut ostensum *supr. c. 3. §. 16.* 4. Quòd huc referunt modos finiendi quælibet jura, quæ non tolluntur vi hujus clausulæ, sed quia jam impleta, vel acquisita, vel aliàs ex natura negotii aut lege finita sunt. 5. Idemque est, si per restitutiones in integrum, ex ædilitio edicto & s. resolvantur negotia; id enim non fit, quasi insit hæc clausula. 6. Quòd clausulam, *rebus sic stantibus* ita inesse pactis dicunt, nisi nova causa emergat; uti Thab. *ad Barb. voc. Pacta. §. 8.* Nam tum sunt duo distincta negotia, quorum quodq; propria vi subsistit, & utrumq; in perpetuum valet, perinde uti si quis ex emto dominium rei acquirat, deinde vel alii vendat, vel ipsi venditori retrovendat, atque ita à præcedente contractu recedat. Nam duæ venditiones sunt juræ validæ, quarum altera alteri non inest, sed utraque æternùm valida manet. *l. 7. §. 6. l. 58. ff. de Pact.* Quæ etsi satis prolixè tractari possent, tamen nec temporis nec instituti ratio id patitur, & post ea quæ cap. 2. tradita & deinde illustrata sunt, planè supervacaneum est.

FINIS.



ANVART
BIBLIOTHECA

BIBLIOTHEK

